



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Secunda causa, exempla Dei & Christi, in Humanitate qui in corrigendis
excessibus humanis, cauerint, nequid pateretur detrimenti humana
existimatio. Cap. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

iniste iudicauerit, reus erit tanti sceleris, quanti esset ille, qui fecisset hoc malum, quod de alio iudicatur. Quod si homo etiam fecit id, quod de eo dicitur: tamen qui nesciens intentionem facientis, secundum consuetum & sensum eum iudicat; tam reus erit ex ipso iudicio, quam ille qui rem ipsam perpetravit: & nisi penitendo diluat; si nihil poenae, quam ille promeruit, qui hoc malum fecit; & ille subiacet. Sic habetur l. i. cap. 7. an fine, spiritualis gratia S. Mechtilidis.

CAPVT SECVNDVM.

Secunda causa vitandi iudicia temeraria est

13. **E**xempla Dei & Christi mirabilia, qui summo opere cauit etiam in corrigendis excessibus humanis, ut ita diuina, iustitia fieret factis, ne quid humana existimatio pateretur detrimenti, & nos haberemus documenta, non facile alios condemnandi. Consideremus huius rei aliqua insignia exempla.

Primum exemplum sit in Adamo & Eua. Scimus quam graue fuerit Adae peccatum, per quod peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit. Roman. 5. versu 12. Quam suauem tamen Dei iudicium & condemnatio fuit Adam?

Primo non statim inuolauit in Adamum, sed perambulauit in paradiso, idque non nocte, quando est tempus horridum, sed post meridiem, tum dixit: *Vbi es?* non addidit, peccator, inobediens, causa tot malorum, etsi id verè dicere potuisset, & cum audisset dici: *Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eò quod nudus essem, & abscondi me:* Deus videns hic insinceritatem, dum causam timoris celat precipuam, scilicet peccatum, & nuditatem esse ait: *Deus tamen non condemnauit tantquam insincerum, occasione tamen eius dicti, suauiter ostendit causam precipuam eius rei, inobedientiam; & quod illius timoris & pudoris causa non esset nuditas, sed ipsiusmet inobedientia; dixit: Quis enim indicauit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo praeceperam tibi ne comederes, comidisti: indicat peccatum, suspendit iudicium, & condemnationem.*

Obseruatum hoc à S. Chrysostomo: post haec scripta inueni in hom. 23. in epist. Roman. in mor. Cum, inquit, transgressum increparet, vide quam mansuetè. Non enim illi dicebat: *Scielesse, cum tanta beneficia per me receperis, post illa omnia fidem habuisti diabolo, benefactoremque tuum relinquens, attendisti malo damoni. Sed quid dicebas: quis tibi dixit quod nudus sis, nisi quod de ligno de quo solo ne comederes tibi praeceperam, comidisti. Quem-*

admodum si pater cum filio ne macheram contingeret, praecepisset, deinde cum non obediisset, vulneratusque iam esset, diceret, unde vulneratus es? Hinc scilicet, quod me non audisti. Agnoscis verba plus amici quam Domini: amici inquam, contempti quidem, neque sic tamen ab amore cessantis. Adam ergo videns tempus sibi dari excusationis amplioris: *Mulier, inquit, quam dedisti mihi (tacite in Deum referens causam, eò modo, quo Dominus seculari diceret amico irato, ob famulum eius sibi iniuriam, sibi ab eo commendatum vel datum ad obsequia, vel seruam aliquam.) Dedit mihi de ligno & comedi.* Deus adhuc iudicium & condemnationem detinet, dissimulat excusationem friuolam Adae, & sui tacitam accusationem, nihil amplius de eo cum eo loquitur, sed ut solent Iudices, qui volunt liberare aliquem in iudicio, leui data occasione ex dicto eius, relinquunt examen facti, & digrediuntur ad aliud. Dixit ergo ad mulierem, credens quod fecerit, quia sciebat, & quia testis erat oculatus Adam, omni exceptione maior, nondum damnat, sed quasi dans occasionem ut se purget, & libera euadat à sententia ait: *Quare hoc fecisti?* non dicit: *quare seduxisti Adamum, quare tam multorum malorum causa fuisti, quare peccasti.* Nil horum ait, sed, *quare fecisti. Peccatum non est opus, sed nihil, ut ait S. Augustinus in c. 11. Ioan. opus tamen vocat. Illa ait: Serpens decepit me, & comedi.* Tacuit, quod dedit etiam Adamo, enique deceperit: Deus tamen & hoc dissimulat, & non condemnat. Propter hoc autem inquit S. Iren. l. 3. c. 37. interrogat eos, uti ad mulierem veniret accusatio, & illam prorsus interrogat, uti ad serpentem transmitteret &c. & sic ea relicta, serpenti ait: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terrae &c. à Serpente non inquit, non interrogat eum fecerit, sed statim condemnat. Cum serpente ita agit, quia libertatem arbitrij non habuit, quia bene operari non potest, quia peccare uti animal irrationale non potest, quia non per se, sed per dæmonem qui in eius forma apparuit, Eua decepta: & tamen hic condemnat. Adam & Eua non? condemnauit, sed postea, non tam cito, differēbat quantum potuit. Condemnatio autem qualis? Primo non vocat deceptricem, malam &c. sed nolens confundere, peccati mentionem nullam facit, non exprobrat, tantum poenam instigit, qualem eam quam habuisset etiam si Deus eam ore suo non promulgasset: nam perditā innocentiam, non poterat parere sine dolore. Deinde poenam hanc temperat spe rei desideratae, cum poenā ipsā coniungendā. Matres desiderant prolem, olim praesertim, ob quam & sanctae steriles se affligebant in eius defectu.*

Multiplicabo arumnas tuas, en poena, & conceptus tuos: en mel temperans condemnationis fel-

in dolore paries: pœna, condemnatio; filios, in cōsolatio: tum ob prolem, tū quia mascula, quod matribus gratum esse solet: *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, sed inde habebis auxiliū, defensionem, consolationem. Adamum posteriūs condemnat, quia posteriūs peccauit; grauiūs, quia grauiūs: nam & nobis nocuit. Nominat quidem clarē eius peccatum, sed cum tribus circumstantiis. *Primò* præmittit occasionem peccati aliunde ortam, vt ita minūs confundat: *quia audiisti vocem vxoris tuæ*. *Secundò*, non dat ei titulum de peccato ortum, *inobedientis, noxi* &c. Sed solum factum eius malum commemorat, *& comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes*. *Tertiò*, peccati damna secutura in aliis, & in eo nata non commemorat, ne exprobrat. Pœnam autem talem infligit: *Maledicta terra in opere tuo*, non super eum qui merebatur maledictionem, sed super terram immittit, qualem benedictione temperatam: *Spinæ & tribulos germinabit tibi*: res vitiles pro sepibus ad arcendos futes, bestias; *& comedes herbam terræ*, utilis & necessaria pœna, immo pœna est maior carere hac pœnâ. *In sudore vultus tui (pœna) vesceris pane tuo (cōsolatio) donec reuertaris in terram de qua sumptus es*. Quasi dicat, ne sis tristis, non erit hoc in æternum. Quia verò mors est etiam res exosa, vt minus sentiret mortis secuturæ decretum, temperat, congruentiâ necessariâ, quasi dicat, æquum est, vt æquo animo feras id: *Quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Vt autem leniret hanc pœnam, *fecit Adæ & vxori tunicas pelliceas*, non tantum dedit pelles, sed & tunicas ex illis fecit, vt faciunt boni Domini, qui non contenti dare pannum, etiam vestes suo sumptu consuunt, & confutas dant: plus, *& induit eos*. Sicut mater filium atque filiam ipsa induit, vt videat an apte vestes carni adhæreant ex amoris teneritudine id faciens. Sicut olim Rebecca volens Iacobum placere Patri suo, vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum, pelliculasque hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit. Gen. 27. 15. 16. At Deus totum Adamum & Euam vestiuit loco filiorum, quid opus erat: Respondet S. Irenæus l. 3. c. 37. *pro tali tegumento*, scilicet foliorum ficus, quod mordet & pungit corpus, Dominus qui est misericors, tunicas pelliceas induit eos. Eiecit eum de paradiso, miserans eius, vt non perseveraret semper transgressor, & à ligno vitæ transtulit, non inuidens ei lignum vitæ, sed miserans eius: ne immortale esset, quod erat circa eum peccatum, & malum interminabile, sinem inferens ei per carnis resolutionem & mortem. Vel vt ait S. Chrysostomus hom. 23. in ep. ad Roman. Quod, inquit, paradiso illos eiecit, laborique adiudicauit, sed magis illum adorare & admirari oportet. Quoniam enim ad istam misericordiam delicia illos deduxerant, abscissa lætitiâ tristitiam veluti murum misericordie propulsanda præstruxit, quatenus ad dilectionem suam reuertetur. Vide plura hac de re in

hac homilia, de suauitate Dei in puniendo.

Ecce iudicium & condemnatio primi peccatoris in terra, & tam grauis peccatoris, facta à Deo omnium Domino, habente odium peccati omnibus grauius. Si ergo in re Deo notâ, tam graui, tale fuit iudicium Dei, quale esse cõuenit in re occultâ, non tam graui, si ab æqualis naturæ homine ferendum sit? bene ergo Christus ait hodie: *Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est*.

Secundò, hæc Dei misericordia apparet in murmuratione Aaron non punitâ Num. 12. vbi Deus volens punire. *Primò* ait v. 4. *Egreddimini vos tantum tres*: non vult coram aliis multis loqui eis, ne occasionem det iudiciorum temerariorum, si alij audirent, idque non ad domū aliquam priuatam, in quam petuius est & frequentior omnibus accessus, sed ad tabernaculum fœderis, ad quod non tam sæpè solebant venire, vt ad domos suas, vt res esset quàm occultissima. *Quo descendit Dominus in columbâ nubi, & stetit in introitu tabernaculi*, quasi nube arcens aliorum ingressum: & tunc ad se non vocauit Moysen, sed Aaron & Mariam, eosque ibi solos increpauit, nolens etiâ Moysen scire hoc, & ita iratus contra eos abiit. nec Moyses id tunc resciauit à Deo, sed ab Aaron postea. Maria leprosa apparuit, non Aaron. Cur? quia cum non putaret Deus expedire, vt hoc inultum esset, voluit tantum Mariam condemnare sine Aaron, quia eius bona opinio, vt Summi Sacerdotis erat magis necessaria apud populum, quâ Mariæ.

Hanc ipsam misericordiam ad reuellenda mala hominum iudicia ostendit Deus post mortem Aaron, cum Moysen, dum eius corpus occultauit, vt quidam sentiunt, ne latrâ adoraretur à gente ad idololatriam propensâ. *Secundò*, non agnauit homo sepulchrum eius vsque ad præsentem diem. Deut. vlt. 6. Cur? cum tot alia sepulchra minus celebrium nota esse voluerit. Sanè Gen. 23. 19. Isaac, Rebecca, Iacobi, Lia. Gen. 9. 30. 31. Iosephi Gen. vlt. 13. nec tantum bonorum sed etiam malorum, qui coturnices desiderauerant, sepulchra erant nota Num. 11. 34. Moyses autem adeo laudat à Deo Num. 12. 3. 7. Exodi. 17. 11. 17. Deut. vlt. 10. & sequi. tot prodigijs factis illustris, Dei Pharaonis, sepulchrum est ignotum. Causa est, ne mala esset de eo hominum opinio, quia enim sepeliuit eum Deus in montis, ex quo apparebat terra promissionis, & ex quo Deus eam ei immediatè ante mortem ostendit Deut. vlt. 1. 4. 5. Si locus sepulchri eius scietur, venientes eo homines animi gratiâ, vti loco & terrâ promissâ, habuissent occasionem vel cogitandi de eius peccato, ob quod à terra promissâ exclusus esset, vel loquendi. Ne ergo esset horum iudiciorum occasio, locum occultauit.

Quod

16. Quod cum Superioribus Ecclesiasticis fecit Deus, idem eum temporalibus. Quarit B. Theodoretus q. 16. in 2. Reg. Cur filium David recens natum mori voluit Deus? Respondet: quia vivus fuisset argumentum sceleris David ex Vriæ vxore eum habentis. Pij ergo Regis & Propheta sui curam gerens, non fuit eum vivere, ne daretur occasio iudiciis, etsi veris, finistris tamen, & sermonibus Nam Sap. 4. 6. dicitur: *Ex iniquis somniis (id est concubitu) filij qui nascuntur, seles sunt nequitia adversus parentes in interrogatione sua.* Eodem itylo vltus Rex Salomon: quamuis à David occisi Vriæ homicidium esset manifestum, & Deus nollet ædificari ab eo templum, quia vir erat sanguinum 1. Par. 22. 8. cap. 28. 3. quod etsi de iusta effusione sanguinis in bellis iustis potuit intelligi, vt intelligit Procopius Gazecus in 13. Reg. & Diodorus apud Lippom. in caten. in ex. 15. præsertim eum Davidis iniusta effusio tantum semel contigerit 3. Reg. 15. v. 5. & iusta frequentius. Vnde de hac maior erat ratio id dictum à Deo cogitandi: tamen quia id poterat cogitari, etsi verè, de peccato eius, noluit Salomon, etsi iam notum, immò redundans in reuerentiam & commendationem templi futuri, apud Hiram gentilem conciliandam occultauit, sed aliam causam scripsit ei, scilicet occupationes bellicas 3. Reg. 5. 3. Sic Deus eum purgat 3. Reg. 15. 5. *ed quod fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus que præceperat ei cunctis diebus vite sue, excepto sermone Vriæ Hethai.* hoc est, excepto adulterio cum vxore Vriæ, & homicidio Vriæ. Vbi nota. Non vocat homicidium, non peccatum, non opus, sed sermonem; quia verborum peccata, ceteris paribus, sunt leuiora quam operum. Deinde non dicit sermonem Bethsabee, etsi per eam sæpius Deum offendit, eum tantum semel per Vriam, semel occisum, quia illud poterat magis confundere Dauidem Sanctum Domini Prophetam, quam homicidium, quod in homine bellicoso non ita videtur hominibus sædum, vt luxuria in Sancto homine.

17. Quod Deus fecit, hoc & Christus, filius eius fecit in hac materia. Vnde de eo dici potest, etiam quoad hoc, lo. 5. 19. *Non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* lo. 8. Adducitur Christo in adulterio deprehensa v. 3. idque in templum, coram omni populo, qui scandalizari poterat ex coniuuentia Christi; præsertim quia Pharisei citarunt legem ex Leu. 20. 10. de tali lapidanda latam: præsertim quia faciebat eos querere, quid cum illa esset faciendum, tentantes, vt possent accusare eum v. 6. præsertim cum perseverarent interrogantes eum v. 7. *tunc Iesus cepit scribere in terra digito,* quideom muniter dicunt, maxime S. Hieronymus in Comment. peccata Sacerdotum,

qui eam adduxerant, eius peccatis maiora, Scripsisse, vt ea legentes, vt erant curiosi inspectores Christi factorum, confunderetur, & ab ea etsi reâ, tamen accusandâ desisterent. Cur non dixit eis peccata exterius? ne eos infamaret: cur nõ scripsit in parete, vel loco alto, ne viderent alij, sed in terra, vt illi soli qui mulierem circumdederant, tantum viderent, & desisterent à condemnatione, etsi mala & reâ, tamen malo animo factâ: & cum illi insisterent interrogantes. Christus iterum scribebat volens eos vincere suâ patientiâ. Nota duo quæ postea subsecuta sunt.

18. *Primo*, quia omnes, etsi fuerant multi (nam omnis populus eo venerat v. 1.) exierunt vnus post vnum, & notat S. Euangelista quod primum Seniores, qui eam accusabant exierunt, ipsi instigatores primum cesserunt: ita vt solus Iesus cum solâ manserit. *Secundo*, absoluit eam dum esset sola, quia cum dicturus esset: *Mulier vbi sunt qui te accusabant?* nec hoc voluit dicere ad illam coram alijs, ne etiam indirectè, peccati ob quod erat accusata, faceret mentionem. Deinde cum eâ solus remanere voluit, quasi concilians ei vii honestæ, authoritatem & non suspectæ; tandem ait: *Nec ego te condemnabo, vade & iam noli amplius peccare.*

En, si Christus peccatum publicum, probatum, in templo &c. textit, confundens iudices veros, sed inordinatos, quid faciet iis, qui leuia, incerta, occulta, falsa iudicant cum damno eorum? Nolimus ergo esse Christo meliores, & magis iusti, sed eo corde, quo Deus nostros defectus videt, aliorum defectus, si qui sunt, aspicimus, non condemnando eos temerè, excusando eos dum possumus, vt in die iudicij misericordiâ apud iustum Iudicem nostrum omnium inueniamus.

CAPVT TERTIVM.

Tertia causa est horum iudiciorum fugiendorum.

19. **S**tatus rerum humanarum, qui eiusmodi est, vt non sit vlla res, vlla actio, vlla persona tam perfecta, & Sancta, quæ non possit condemnari, si homo velit suo iudicio & censura laxare habenas, & non conuertere res in bonam partem. *Vix aliquid,* inquit S. Bonaventura in apolog. quæst. 6. *fit tam pure, quin possit ab alio quo sinistrè interpretari, quasi male fiat.* Et vt res hæc quasi à fundamento explicetur, ponderanda sunt variae actiones variorum Sanctorum, de quorum Sanctimoniâ nullus esse potest apud nos dubitandi locus. Vnum tantum commendando lectoribus huius Opusculi, vt quando actiones Sanctorum non dignas vituperatione referam, quæ à temerariis hominibus im-

probat